



**A**Enotherus Gygas ex Durgia pago Sueuiæ  
 natus fuit. Is cum Sueuis & Boijs sub Caro-  
 lo Magno stipendia meruit, atque in bellis aduer-  
 sus Venedos, Auares & Hunnos magnam uirtu-  
 tis existimationē impetrauit. Hic flumina quę pon-  
 tibus iuncta non erant, equum suum fortissimum  
 post se trahens, superare fuit solitus, adiecto in relu-  
 stantem sonipedem hoc ioco: Ita me Deus meus  
 adiuuet, uel ingratus sequare necesse est. Is Vene-  
 dos Auaresq; in modū fœni demetebat, & in mo-  
 rem auicularum hasta uelut cuspide fixos, humeris  
 suspendebat. Cumq; domum reuersus, à populari-  
 bus (ut fit) de successu euentuq; belli, & de condi-  
 tione, ac uiribus hostium quereretur: Quid multa de istis ranunculis (indi-  
 gnabundus inquit) commemorem? Ego interdum septem, octo uel, interim  
 & nouem hasta mea transfixos, nescio quid coaxantes, ultro citroq; tuli. Neu-  
 tiquam opere prætium fecimus, nec quicquam Augustus & nos ingenti im-  
 pendio aduersus huiusmodi uermiculos arma promouimus. Tantulum belli  
 quod nobis sumpsimus, minoris multò constare potuisset. Itaque Aenothe-  
 rus, ob rem præclarè gestam, apud Germanos semper in magna authoritate  
 fuit. Auentinus lib. 4.